

Dissertatio medica inauguralis de ictero colicae juncto ... / [Albrecht Jakob Harrsch].

Contributors

Harrsch, Albrecht Jakob, 1735-
Stock, Johann Christian, 1707-1758.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Marggrafianis, [1757]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a22xehks>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

ICTERO COLICAE INVICTO

Q V A M
ADNVENTE NUMINE CLEMENTISSIMO
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQUA

SVB PRAESIDIO
IO. CHRISTIANI STOCKII

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS
CHIMIAE ET PRAXEOS PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ ET
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGAE
H. T. GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
DECANI

PRAECEPTORIS ET PROMOTORIS SVI PIE VENERANDI

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES LEGITIME OBTINENDI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

DIE VI. APRILIS A. R. S. CIO MDCC LVII.


S V B M I T T I T

A V C T O R

ALBERTVS IACOBVS HARRSCH

ESSINGENSIS.

GENAE LITTERIS MARGGRAFIANIS.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3078508x>



§. I.

Icterus est qualitatis mutatae symptoma, quo corporis humani color in praeternaturalem flauum, vel ad viriditatem inclinantem, vel fuluum, vel fuscum, seu ad nigredinem vergentem, transiit. Symptomati huic icteri nomen ab auicula, flauo colore praedita, quam icterum, item Galbulum appellarunt, impositum esse videtur. Alii idem hoc symptoma, quum in corpore humano auri, seu regis metallorum, colorem quodam modo exhibere soleat, auriginem, vel regium morbum, alii a flauo arcus coelestis colore morbum arcuatum vel arquatum nominarunt.

§. II.

Praecipua in iëtero correptis phaenomena sunt sequentia : Flauedo vel obſcurior et ad nigredinem vergens color primo in albuginea oculorum tunica et circa tempora cernitur, hinc per vniuerſum habitum cutaneum diffunditur. Vrina mingitur craſſa et obſcure rubra, chartam albam et linteamina alba ad inſtar croci tingens, ſedimentum veluti argillaceum fiſſens, vel vrina ex viridi nigricans apparet. In aliis alui ſegnities vel adſtriçtio obſeruatur, et, quando illius excretio ſequitur, excrementa ſolito minus tinçta, vel cineritia, vel albicantia apparent, in aliis contra diarrhoea bilioſa occurrit, vel excrementa porracea, aeruginofa, vel nigricantia obſervantur. Pruritus aliquis totum adfecti corpus occupat, et quando iëtericus aliquis ſudat, ſudor linteamina flauedine inficit. Interdum ipſa ſaliua flaua excernitur, et omnia ore adſumta ſaporem amaricantem habere videntur. Cephalalgia, ſitis, laſſitudo membrorum, faſtidium, nauſea, cardialgia, dolor compreſſiuus hypochondriorum et ſtomachi, in primis tamen violentae ſtriçturae, preſſionis et tenſionis ſenſus in hypochondrio dextro, anxietates, ſpirandi difficultates, in nonnullis vertigo, ſcotomia, lipothymia, ſyncope, adeo.

adeoque varia et saepe fatis graua in iſtericis occurrunt symptomata. Febris autem vel nulla eſt iuncta, vel iſterum antecedit, vel iſterus feбри critice, vel ſymptomatice, ſuperuenit. Iſterus autem alius remediis facile cedit, et breui ceſſat, alius facile reuertitur, et quidem interdum periodice, certasque horas durat, alius admodum diuturnus, et contumax eſt malum. Experientia quoque docet, quod iſterus flauus diuturnior tandem in nigrum abeat.

§. III.

Excellentiſſimus atque Experiendiſſimus Dominus PRAESES in iuvene iſterico, qui, dolorem capitis mitigandi ſine, ſibi in nucha veſicatorium adplicare chirurgum ſuum iuſſerat, ex veſica aperta humorem lymphatico-feroſum veluti croco large tinctum, ipſaque linteamina alba ſtatim flauo colore tingentem, effluere vidit, in femina autem valde plethorica, a menſium ſuppreſſione iſtero flauo correpta, adminiſtrata venae ſectione, ſerum ſanguinis e vena ſecta emiſſi deprehendit flauiſſimum. IOANNES SCHENCKIUS A GRAFENBERG *obſervationum medicarum rariorum Lib. III. de Iſtero Obſervat. I.* ſingularem de iſtero prodigioſo caſum recensuit. In vna nimirum iſterica CORNELIVS GEMMA ſemel quadruplicem

plicem coloris vicissitudinem obseruauit, sic tandem flauesciente habitu corporis, vt vno temporis puncto et ungues, et labia, et crines, cum vniuerso habitu, coloris extreme fului atque aurei spectarentur: haec autem illi ab obstructis mensibus contigerunt. Non minus notatu digna sunt quae in DOLAEI *Encyclopaedia medica Lib. III. Cap. 8.* de viro quadragenario, ictero demortuo, cuius omnia abdominis et thoracis viscera, et cerebrum ipsum cum ossibus et cartilaginibus flauedine infecta sunt visa: item quae in KERCKRINGII *obseruat. anatom. 57.* de foetu puero leguntur, quem mater icterica octauo grauidationis tempore mortuum quidem peperit, sed ita flauum, vt e cera flaua confectus puer, non partus humanus visus sit. Ad ossa, vbi peruentum, ea flauo humore ita tincta deprehendit KERCKRINGIUS, vt, si non ipse secuisset corpusculum, illudi sibi, atque arte tincta fuisse putasset.

§. III.

Fluidum flauum, spissum, saponaceum, et amarum, in hepate secretum, vasisque propriis contentum, sub bilis nomine veniens, non solum decenti qualitate, sed sufficiente etiam quantitate e sanguine secerni debet, vt chylicationis negotium
rite

rite succedat, vt parietes intestinorum canalis, vbi feces aluinae continentur, a putredine defendantur, et ne in aluo exoneranda stimulus deficiat, sed vt ipsa etiam bilis superflua vna cum fecibus aluinis e corpore humano eliminetur. Sub secretionis bilis beneficio autem massae sanguineae a superfluis sulphureis, salinis, in primis alcalicis volatilibus, itemque terreis, adeoque materiam ipsius bilis constituentibus particulis superfluis liberatio, et hoc pacto succedens laudati laticis vitalis depuratio comprehenditur (vi principiorum physiologicorum). Si itaque bilem constituens materia extra modum in massa sanguinea sit multiplicata, vt ab acinibus hepaticis, et poris biliariis non satis recipi possit, sed magna materiae biliosae quantitas cum sanguine hepaticas in venas transeat, et redeat per venam cauiam ad totam massam sanguineam; vel naturali quidem quantitate in massa sanguinea existat, sed parum, vel plane non discernatur et excernatur; vel si materia biliosa ex sanguine praecipitata in lympham et serum transeat, adeoque tanquam materia saponacea a lymphâ et sero, vtpote fluidis aquosis, solvatur, et soluta intret vasa minima partium corporis humani solidarum, earum color naturalis mutatur in flauum, vel
ad

ad viriditatem inclinantem, vel fulvum, vel fuscum, seu ad nigredinem vergentem, prout bilis soluta et tingens vel adhuc est integra, vel a particulis alcalicis iusto copiosioribus, vel acidis, austeris, tartareis, aliisque, praeter naturam commixtis, corrupta. Non igitur mirandum est, si in diuersis indiuiduis, sub diuersisque circumstantiis, varias Medici practici species icteri obseruarunt. Scopī autem praefixi ratio non permittit, vt admodum variantes de ictero obseruationes omnes recenseamus, sufficit adhuc meminisse icteri viridis, cuius modi speciem grauissimis symptomatibus stipatam notauit PETRVS IOANNES FABER *in curatione* 71.

§. V.

Quum in ictero adfectis flauedo, vel obscurior et ad nigredinem vergens color non solum in tunica oculorum albuginea et circa tempora cernatur, sed per vniuersum etiam habitum cutaneum diffundatur: olim labia, crines, vngues, omnia abdominis et thoracis viscera, et cerebrum ipsum, cartilagine et ossa flauedine tincta visa, saliuā, sudor, vrina, tanquam humores bile tincti in ictericis obseruati sint (§. II. et III.), quilibet, anatomicis et physiologicis imbutus principiis, perspicere potest, quod vasa

vasa, per quae tinctura biliosa ad partes solidas praeter naturam accedit, sint arteriolae minimae sanguineae, vascula nutrientia, secretoria, secernentia, arterioso-lymphatica, vel neuro-lymphatica, arteriae lymphaticae, vascula serosa, et excretoria.

§. VI.

Materiam bilis in sanguine maxime multiplicant cibi sulphurei, et alcalini, butyri et pinguium, mellitorum, et aromatum abusus, cepae, allium, potus sulphureus, vinum hispanicum, Italicum, adustum, et medicamentorum aromaticorum abusus, ira et excandescencia frequentius admissa.

§. VII.

Bilis secretionem atque excretionem impediunt plethora inualescens, sanguinem vel bilem ipsam viscidiorum et crassiorum reddentia, ut vel in venae portae ramificationibus, vel in acinibus hepaticis, vel in ipsis vasis et viis bili destinatis, obstructio locum inueniat, hinc omnia alimenta viscida, lenta, crassa, crebrius, vel frequentius adsumpta, ut farinacea non fermentata, pisces, fumo indurata, lentescens, pisa, fabae, acida, quae iusto copiosiores terreas ciborum particulas solutas magis inferunt, vel coagulant, vel

bilem ex sanguine praecipitant. Symbolam suam quoque conferunt motus defectus et quies nimia, tristitia longior, mensium, lochiorum et haemorrhoidum suppressio. Huc etiam pertinent austera et adstringentia, vel in vasis bilis secernentibus et ductibus biliariis vel in primis in ductu choledochi constrictionem tantam inducentia, ut bilis in duodeni cauum transitus intercipiatur, valde acria, emetica et purgantia fortiora, caustica, venenosam seu deleteriam qualitatem prae se ferentia, humores valde acres, vulnuscula ab animalibus humores eminen- ter acres possidentibus infligta, morsus animalis rabidi, omnesque spasmi, qui iam laudatis vasis et ductibus communicantur, siue occasione animi pathematis vehementioris, siue febris, siue inflammationis, siue vulneris, siue partus difficilis, siue spasmodorum dolorificorum vehementium ac diutius durantium in partibus aliis. In bilis etiam vasis secretoriis, secernentibus, et ductibus biliariis, seu vasis et viis bili destinatis, obstructionem efficiunt repletiones a calculis, vel vermibus, vel compressiones a flatibus, tumoribus vicinis, scirrhis, vel excrescentiis.

§. VIII.

Quemadmodum spastica vasorum bilis fecer-
nen-

nentium seu ductuum biliariorum, in primis chole-
dochi constrictio transitoria esse, seu breue tantum
tempus durare potest: ita etiam aliquando icterus
breui cessat, immo interdum sine medicamentis
adhibitis.

§. VIII.

Quamquam antecedente paragrapho adserue-
rimus, quod acris, deleteria, vel venenosa materia
spasmodicam in vasis bilis fecernentibus et ductibus
biliariis constrictiorem inducendo, qua bilis in ca-
nalem intestinorum transitus intercipitur, icterum
efficere queat, nulli tamen dubitamus, quin inter-
dum etiam deleteria, vel venenosa materia bilem ex
sanguine praecipitare, vel et hanc praecipitationem
efficere et vna spasmodicam illam constrictiorem
inducere possit.

§. X.

A variis itaque causis icterus proficisci potest
(§. VI. seqq.), iam vero nos accingimus ad demon-
strationem modi possibilitatis icteri colicae iuncti.

§. XI.

Colica a nonnullis quidem in latiori sensu pro omni
in canali intestinorum dolore sumitur, in sensu autem
strictiori est dolor in abdomine vehemens in regio-

ne, vbi colon situm est, siue huius pars, et quidem vel circa initium, vel medium, vel finem, vel totum colon tensione, vel constrictione spasmodica laboret. Iam laudatum enim intestinum a dextro incipit inguine, supra et circa dextrum renem ad hepar adsurgit, et inde sub spuriis costis ad sinistrum producit hypochondrium, cuius magnam occupat partem, mox tamen ad renem sinistrum et tandem ad os sacrum in rectum intestinum deuoluitur. Colicus itaque dolor in hypochondrio dextro, regione umbilicali, hypochondrio sinistro, in regione lumbari, et quidem praecipue in vna harum regionum, vel in pluribus simul adfigere potest. Potest tamen colica distingui a musculorum abdominis et peritonei doloribus, quum hi sint externae abdominis superficiei viciniore, colicus autem dolor sit profundior: ab hepatis et lienis doloribus, qui grauius et remissiores, coli contra dolores vehementiores esse solent: a dolore ventriculi, qui situm habet colo superiorem: a nephritide, quae magis constantem circa renis locum dolorem, qui plerumque secundum vreteris ductum successiue protenditur, femorisque huius lateris stuporem exhibet.

§. XII.

Differunt etiam a se inuicem colica et ileus, quum colica sit dolor in abdomine vehemens in regione adfligens, vbi colon est situm (§. II.), ileus vero sit intestinorum tenuium in primis ilei dolor acutissimus, contumacissimam alui obstructionem, motumque intestinorum peristalticum inuersum coniunctum habens, vt tandem in intestinis contenta reiiciantur.

§. XIII.

Tensionem in colo spasmodicam, vt in eodem dolor adfligat saepe efficiunt flatus, qui qualitate, vel quantitate, vel motu, vel pluribus ex his simul peccant. Qualitate peccant flatus, si sint vapores nimis viscerum, vbi cohaesione resistunt, quo minus satis expedite pergere possint, sed adcumulantur, nec tam prompte discuti possunt. Acres flatus particulis suis acerbis se insinuant fibris coli sensibilibus, hasque pungunt, vellicant, rodunt. Quantitate flatus peccant, si nimia copia generentur vel alimentorum, vel viscerum chymificationi et chyli- ficationi destinatorum culpa, vel si feces obicem posuerint, vel culpa atoniae canalibus intestinorum. Motu peccant, quando non satis expedite progre-

diuntur, culpa vel viscedinis, vel acrimoniae, si hac continue irritando constrictionem in quadam coli parte spasmodicam efficiant, ut non amplius decens maneat proportio inter copiam flatuum, et spatium, per quod transire et progredi debebant; vel motu peccant, si quantitate sua nimia sibi ipsis impedimento sint.

§. XIII.

Humores visceri et acres superficiei coli internae vel externae adhaerentes, aut in vasculis intra tunicas huius intestini subsistentes, irritationem, tensionem, vel constrictionem spasmodicam facile efficiunt. Viscedo adhaesioni, obstructioni et stasi, salium retentioni et concentrationi fauet, et debetur pituitosis, vel tartareis particulis, vel pituitosis et tartareis simul. Acrimonia alcalica, biliosa, acida, acido-biliosa, atrabilaria, falsa, tartarea, pungendo, morficando, lancinando, dolorem in colo inducere valet.

§. XV.

Quantitate in excessu peccans humor congregationi et tensioni spasmodicae in colo omnino etiam occasionem praebere potest.

§. XVI.

§. XVI.

Motu peccant humores, si adfluxus sit iusto maior, vel stasin subeant, vel motus intestinus sit vitiat, ut salinae et aereae particulae iusto copiofiore liberentur.

§. XVII.

Deglutita non resolubilia, ut nuclei ceraforum, pelliculae et acini vuarum, scybala coaceruata et arida, vermes conglomerati, calculi in intestinorum canali geniti, humoribus pariter ac flatibus exitum praecludere, et efficere queunt, ut humores stagnando acriores fiant. Possunt tamen omnino etiam aliae res acres vel spasmodice irritantes colicam inducere, ut purgantia acra et drastica, venena, vermes quoque morficando et rodendo malum hoc inuitant.

§. XVIII.

Hydrargyri, arsenici, saturni vapores partibus corporis humani viuentis adhaerendo et ad interiora penetrando humoribus possunt misceri, et cum iis circulationem subire, ut ad has illasue accedant partes solidas, hinc varias in corpore humano aegritudines, ipsosque coli dolores inferre queunt.

§. XVIII.

§. XVIII.

Irritationes in colo spasmodicae dolorem sibi efficientes non solum tum contingunt, quando obiectum spasmodice irritans in ipso colo existit, et in hoc ortum est, sed obiectum eiusmodi etiam aliunde accedere, vel colon, propter aliquem nexum vel consensum cum partibus aliis, in consensum trahi, seu colo irritatio spasmodica a parte alia communicari potest. Mirum enim variarum in corpore humano partium solidarum consensum experientia et corporis humani fabrica probat. Canalis intestinorum cum aliis partibus, partiumque remotarum inter se, consensum luculenter exposuit STEPHANVS BLANCARDVS in *anatomia reformata, de anatome nervuorum*. Mediantibus aliis partibus vitiatis e. g. colon irritatione spasmodica adficitur in malo hypochondriaco, passione hysterica, nephritide, abscessu mesenterii, hepatis, lienis, vesicae urinariae, vel intestini recti, vasorumque haemorrhoidalium vitiis.

§. XX.

Colica essentialis et idiopathica originem habet a causa, quae in ipso colo existit, ita, ut sit vna alteraque res adsumpta (exempli loco sit cibus et potus vitio-

vitiosus, purgans drasticum, venenum); vel obiectum spasmodice irritans in colo ortum sit. Colica sympathica originem ducit ab obiecto spasmodice irritante aliunde accedente (e. g. ab arthritide retrocedente, vel retropulsa, a podagra retrocedente, vel retropulsa, ab exanthematibus retrocedentibus, vel retropulsis), vel a parte, quam inter et colon ipsum consensus intercedit.

§. XXI.

Si a flatibus in colo irritationem spasmodicam efficientibus colica dependeat, flatulenta audit; si vero ab humore admodum acri intra coli cauitatem, vel in intestini huius substantia haerente, vel externae coli superficiei adhaerente, fibrae eius musculares et nerueae spasmodice irritentur, cum valde sensibili passione, colica spasmodica, vel conuulsiua vocatur.

§. XXII.

Quum in spasmodica in colo irritatione sanguis congestus, vel biliosus, vel pituitosus humor accusari queat, colica alia dicitur sanguinea, alia biliosa, alia pituitosa. Quatenus massae sanguineae depuratio laesa in culpa est, vel propter scorbutum, vel luem veneream, colica alia scorbutica, alia venerea dici, omnino tamen

etiam contingere potest, ut propter vlcus in parte vicina, e.g. in mesocolo, humor purulentus acris, superficiei coli adhaerendo, ibique spasmodice irritando, colicae occasionem praebeat. Colica a malo hypochondriaco dependens hypochondriaca, a malo hysterico hysterica vocatur, et haec, itemque nephritica, ad colicam sympathicam recte refertur (§. XX.).

§. XXIII.

Quemadmodum causa tensionem spasmodicam colo inferens est vel leuior, vel grauior, ita in colici doloris qualitate et gradu diuersitas occurrit. Si flatus pauciores tantum doloris obiectum constituent, vel pituita non acris sit materia peccans, tensio leuior dolorem grauatiuum inferre, a flatibus autem copiosioribus dolor magis distensiuus molestiam creare solet. Si vero in pituita salia sint concentrata, dolor pungens, rodens, vel terebrans, suboritur. Biliosus, acido-biliosus, atrabilarius, vel quomodocunque acris, vel austerus humor pungentem, lancinantem, vel lacerantem, vel contorquentem dolorem inducere valet. Lancinans, lacerans, item contorquens dolor in colica spasmodica seu conuulsiva est frequentissimus.

§. XXIII.

Quum directio coli non sit vbique vna eademque, seu in partibus coli situs diuersus occurrat, dolor colicus alios in hoc loco, alios in alio excruciare potest, e. g. quum pars coli sub hepate transuersim ad hypochondrium sinistrum producat (§. XI.), adeoque transuerso itinere ventriculi fundum perreptet, sub transuerso hoc situ dolor colicus ab haud paucis aegris percipitur, vel, quia colon magnam hypochondrii sinistri partem occupat (§. cit.), in quibusdam dolor colicus in hypochondrio sinistro sedem suam habet, in aliis tamen magis in regione lumbari (§. cit.) adfligit. Si in quadam laudati intestini parte dolor sedem suam figat, dolor colicus fixus dicitur; contra, si modo hanc, modo aliam coli partem occupet, dolor colicus vagus appellatur. Aliquando tamen accidit, vt dolor in pluribus coli partibus simul, vel per totum coli tractum adfligat.

§. XXV.

Icterus et colica possunt sibi inuicem iungi vel ita, vt colica icterum, vel vt hic colicam efficiat.

§. XXVI.

Concaua hepatis pars partim ventriculo, partim intestinis insidet (vi principiorum anatomicorum). Si itaque in colo feces, humores, et flatus, vel hi in primis sunt extra modum accumulati, et subsistunt, hinc et repletionem nimia resistunt, ut flatus per intestina tenuia ad colon non rite pergere possint, intestina flatibus turgida, in primis duodenum et colon, hepar et vasa biliaria comprimendo obstructionem inferunt, ut bilis non rite in duodenum fluere, nec decenter excretionem subire possit. Quae igitur in venae portae, eiusque ramificationum sanguine iam existebant particulae biliosae, etiamsi ad secretionem iam aptae erant, ex sanguine illo non fecernuntur, sed per venas hepaticas ad reliquum sanguinem regurgitant, cum massa sanguinea circulantur, et a lymphâ et sero solutae intrans vasa minima partium corporis humani solidarum, ut harum color naturalis mutetur in praeternaturalem flauum (§. III.), adeoque icterus inducatur (§. I.).

§. XXVII.

Hepaticus, cysticus, et choledochus ductus, fibris muscularibus et nerueis haud secus ac cystis fellea,

fellea, sunt praediti (vi principiorum anatomicorum): ergo spasmodicis pathematibus etiam sunt obnoxii (per principia pathologica). Si itaque in colica coli spasmi vehementiores ductus illos in consensum trahant, ab illorum, et in primis ex ductus choledochi constrictione spasmodica etiam bilis motus liber, et excretio intercipitur, et hinc icterus est possibilis (§. III et I.). Admodum frequenter vero accidit, ut a colo, constrictionibus spasmodicis valde adfecto, eae tenuibus intestinis, propter arctum partium canalis intestinorum consensum, communicetur, easdemque constrictiones spasmodicas duodenum ipsum simul patiatur, hinc choledochus ductus, intestini duodeni tunicis immersus, comprimatur, vel simul constringatur, hinc bilis in canalem intestinorum transitus atque excretio intercipiatur.

§. XXVIII.

In colica igitur vehementiori, siue flatulenta, siue spasmodica, obstructio eiusmodi est possibilis, qua bilis decens in canalem intestinorum transitus, atque excretio impeditur, hinc biliosarum sanguinis venae portae partium ad totam massam sanguineam regurgitatio et icterus sese excipiunt, (§. XXVI. XXVII. et XXI.) (§. III.).

§. XXVIII.

Icterus vero colicam producit, quando partes biliosae, quae cum tota massa sanguinea commixtae per vniuersum aegri corpus circulantur, ad fibras musculosas et nerueas coli appellentes in vasculis coli subsistunt, vel cum lymphâ in colore secretæ superficiei huius intestini adhaerent, ibidemque irritationem spasmodicam, spasmos in colo dolorificos, adeoque coli dolores efficiunt (§. XI.). Nulli tamen dubitamus, quin in ictero quodam, ab impedita bonae notae bilis secretionē orto, chylickationis læsio humoribus in canali intestinorum crudis, viscidis et acribus, mineræ flatuum, et flatibus ipsis occasionem in tantum præbere queat, ut etiam colica oriatur.

§. XXX.

Ex icteri phaenomenis, et coli doloribus descriptis (§. II. XI. XXII. et XXIII.) diagnosi icteri colicae iuncti obscura esse nequit. Quod vero attinet ad prognosin, adserere non dubitamus, quod icterus a colica flatulenta ortus, si tempestiue legitima, ac prudens medendi ratio adhibeatur, non facile sit cum magno vitæ periculo coniunctus, a colica autem spasmodica

modica seu conuulsiva, in primis occasione febris exanthematicae, vel malignae, vel podagrae retrocedentis, vel retropulsae, ortus facile vniuersum genus neruosum in consensum, et funestum post se trahere euentum possit. Icterus colicam spasmodicam efficiens omnino etiam, vniuersum genus neruosum in consensum rapiendo, tristem portendit exitum. Icterus, qui bile chylicationem valde laedente colicae occasionem dedit (§. XXVIII.) perquam facile magnam cachexiam, icterum nigrum, hydropem, et tandem mortem post se trahit. Sin vero sequatur diarrhoea, vt per excrementitiarum partium excretionem sufficientem facta depuratio partium humores constituentium proportionem et crasin satis bonam restituat, ad salutem transitus fieri potest.

§. XXXI.

Icterus colicae iunctum curandi ratio pro causarum diuersitate omnino ineunda erit, et symptomata sunt corrigenda, ac remouenda.

§. XXXII.

Si a colica, in fecibus, humoribus excrementitiis, flatibus, in colo subsistentibus, originem habente, icterus dependeat (§. XXVI.), ante omnia adplicandus,

candus, et pro re nata, repetendus est clyster ex emollientibus, discutientibus, carminatiuis, aluinam-que excretionem promouentibus, compositus e.g. ex rad. alth. foenic. ebuli, leuistici, herba chamomillae vulgaris cum toto, parietar. rut. melilot. baccis iuniperi, sem. lini, foen. Gr. et caricis pingui. cum s. q. aquae simpl. decoctis, colaturae oleo rutac. chamom. cocto, anethino, castorino, electuar. diacathol. et sale Sedlizeni, additis. Pro usu vero interno iusta dosi adhibeatur mixtura ex Ess. Carlinae, cort. Oant. castor. spiritu Ori dulci, et tantillo spiritus salis ammoniaci anisati praescripta. Interponatur pulueris usus, ex lap. 69, ppt. ☿ Solat. ♂ diaph. 33ri et momento pulueris castorei, praescripti. Nec negligenda est adplicatio linimenti oleosobalsamici ex oleo chamomillae cocto, rutaceo, anethino laurino, castorino, nucistae expresso, balsamo Peruiano, et oleis destillatis origani, menthae, carui et succini, addita camphora. Superimponi possunt sacculi ex rad. zedoar. calami arom, ebuli hb. origani, menth. chamom. Rom. bacc. laur. sem. carui et sale decrepitato praescripti.

§. XXXIII.

In colica spasmodica interne quidem profunt pulueres ex lapidibus 69. citratis, puluere epileptico
Mar-

Marchion. ♀ Colat. ♂ depur. 33ri. ‡ diaph. et aliquot
olei bezoardici WEDELII guttulis compositi, saepe
tamen egregiam vtilitatem praestant emulsiones ex
sem. melon. cucumer. papav. alb. amygdalis dulc.
ambros. excort. ∇^ scord. chamomill. flor. sambuci,
tiliae, et ceras. nigr. praescriptae, colaturae pulue-
re epil. Marchion. bezoard. miner. et camphorae
gr. iss. additis. Clysteres adhibendi sunt ex rad. alth.
lil. alb. glycyrrhiz. hb. veron. violar. chamom. vul-
gar. summit. aneth. flor. samb. papav. rhoead. sem.
lini, caricis pingu. cum s. q. lactis decoctis, cola-
turae addita larga olei amygdalor. dulc. quan-
titate. Profunt etiam olea paregorica et sacculi
paregorici.

§. XXXIIII.

Si vero colica et iæterus a febris exanthemati-
bus dependeant, clysterum vsus est suspectus. Vid.
Excellentissimi atque Experientissimi D. D. Praesidis
prolusio huic dissertationi meae praemissa.

§. XXXV.

Causa itaque fouens semper est respicienda.
Si enim a febre, a nephritide, a passione hysterica, etc.
colica et iæterus habeant originem, omnia haec ex
loculis suis curanda sunt.

§. XXXVI.

Si iæterus colicam efficiat, ille erit vel calidus, seu cum febris coniunctus, vel ab alio morbo, vel symptomate dependens. Si sit calidus, seu cum febris coniunctus, methodus temperans et spasmis prospiciens seligenda, si ab alio morbo vel symptomate dependeat, omnino morbi, vel symptomatis diuersitas aliam atque aliam curandi rationem postulat, sed tempus et circumstantiae non permittunt in tractatus operas excurrere.

§. XXXVII.

Symptomatum mitigationem et remotionem secundum caussarum rationes diuersas determinandam, et diaetam caussis contrariam instituentiam esse, quis est, qui non intelligat, atque perspiciat?

S. D. G.





DIGNISSIMO MEDICINAE
DOCTORANDO

ALBERTO IACOBO
HARRSCH

S. D.

PRAESES.



TE, DIGNISSIME DO-
MINE DOCTORANDE,

*inter et me simulationem intercedere posse,
vix unquam TIBI persuasum habebis,
quum magna inter nos consuetudo negari*

nequeat. De optimis igitur virtutibus T V I S
 satis certus factus non possum non in spem
 venire, fore, ut summa industria T V A,
 cum vera pietate coniuncta, optimos quosque
 fructus exhibeat. Quos itaque capeffis ho-
 nores ex animo gratulor, et prorsus confi-
 do, T E Deo et patriae non contemnenda
 praestitutum esse officia, quae ut omnis ge-
 neris felicitatem connexam habeant, pro eo,
 quem T I B I semper conseruabo, amore
 Deum fatigabo precibus ardentissimis. Va-
 le, et amare perge T V I studiosissimum.
 Dab. d. III. April. A. R. S. Clō DCC LVII.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

ALBERTO IACOBO HARRSCHIO

FAVTORI ATQVE AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IEREMIAS DANIEL BREBIZ,

ROTENB. FRANCVS.

MED. DOCTORANDVS OPPON.

Haud exiguus est qui in me redundat honor, nec parua, quam inde haurio, voluptas, quod me e numero dissentientium esse volueris. Magni hanc aestimo occasionem, qua publice amorem, quem TIBI debeo, testificandi mihi datur facultas. Animi TVI sinceritatem, morum suauitatem, ingenii alacritatem, et qua erga omnes fere uti soles, humanitatem nunquam non miratus sum, hinc iam dudum, qua intimiorem TECVM inire possem amicitiam, quaesui occasionem. Doctum hoc TVVM specimen inaugurale, quod orbi erudito communicasti, nouum est TVAE satis iam cognitae atque comprobatae industriae testimonium, hinc et praemia atque mercedem meritis TVIS sane non exiguis dignam mox obtinebis. Gratulor hinc TIBI in antecessum de honoribus doctoralibus mox abs TE capessendis et opto, ut omnia et in posterum ex voto TIBI succedant. Gratulor patriae de Ciue atque Medico doctissimo; Gratulor parentibus de filio dignissimo. Ceterum et me in posterum quoque TVAE ut commendatum habeas beneuolentiae atque amicitiae, est quod maxime rogo, consecro. Vale. Dabam Ienae d. XXXI. Martii MDCCLVII,

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
MEDICINAE DOCTORANDO

S. P. D.

F. C. G. SCHEIDEMANTEL, Isenac.

OPPONENTS.

Magna laetitia, multoque gaudio afficior, quum TVA
 erga me amicitia sese tam praeclare ostendat,
 cum opponentis munus in me benigne contuleris.
 Gratias TIBI ago, quas possum maximas pro eximio huius
 amicitiae specimine. Summas in arte salutari laudes atque
 honores TIBI comparans acquiris simul fructus diligentiae
 TVAE dulcissimos. Expectat TE patria, festina itaque ut
 desiderio eius satisfacias. Festina, ut parentum TVORVM
 deliciae et aegrorum solatium esse possis. Meum itaque est,
 ut TIBI in acquirendo tanto honoris gradu omni animi
 observantia gratuler. Faxit Deus immortalis, ut TV tan-
 dem aliquando numerum eorum augeas, qui in arte saluta-
 ri celeberrimum nomen nacti sunt. Quod ad me attinet, TE
 etiam atque etiam rogo, ut favore TVO atque amore me
 prosequaris atque amicitiam erga me TVAM per omne
 tempus conserues. Ienae d. VI. Aprilis. MDCCLVII.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO DOMINO
DOCTORANDO

ALBERTO IACOBO HARRSCHIO

FAVTORI ET AMICO SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

I. C. F. STOCK, Ienensis,

DISSENTIENTIS MVNERE FVNGENS.

Quam ex consuetudine, et amicitia TVA, summi aestimanda pretii, semper me percepisse voluptatem laetor, hanc TIBI laetitiam meam TIBI testificandi occasionem me audissime non solum expectasse, sed nunc quum mihi contigerit eam oblatam esse, nec eam arripiendam praetermittere TIBI persuadeas. Haud vulgare TVAE erga me beneuolentiae per humanissimam ad actum disputatorium inuitationem signum mihi patefecisse eo magis laetor, quo aptiorem nunc TVA iam probata eruditio, qua nunc publico TE commendas, gratulandi occasionem mihi offert. Verae inprimis felicitatis genera animi sinceritas in votis habere iubet. Ex animo igitur gratulor dignissima in TE conferenda praemia pro diligentia et morum integritate, qua flores, et accipiendas honores eo magis splendere video, quibus ut per longissimam annorum seriem perfecta floridus sanitate fruaris. Nullum unquam nuntium maiore percipiam voluptate, quam qui de TVA salute rerumque TVARVM felici successu me certiores faciet. Reliquum amicitiae nostrae vinculum, cui me totum trado, ut consuetudine TECVM iuuissima soluta haud abrumpendum putes, nec ulterius ea me dignari dubites, obseruantissime peto. dabam Ienae die III. nonar. Aprilis.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
MEDICINAE DOCTORANDO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOHANNES LAVRENTIVS IACOBVS
THIERINGER,

HALA SVEVVS, MED. CVLT. OFF.

Indefessum in quocunque genere literarum studium cum miramorum suauitate elegantia atque eximia mansuetudine a teneris ad hoc usque tempus arētissime a TE connexum, non solum Praeceptores, sed omnes, qui TE norunt, in TVI aestimationem et amorem traxerunt. Quid mirum? me quoque ex horum numero fuisse, qui Iuuenem eximiis talibus virtutibus exornatam quam maxime diligerent, quum prima cognitionis fundamenta ex uno fonte hauserimus, et ab hinc pluribus annis amicitia nunquam interrupta inter nos intercesserit, quae nos ad Musas salanas translatis quotidie strictioribus vinculis tenuit. Insigne illud amicitiae specimen nūnc TIBI edere placet, me dignum iudicans, cui munus opponentis iniungeres eo ipso tempore, quo actu demonstras, spem de TE conceptam nos non fallere. Gratulor igitur TIBI de mox TIBI conferenda summa Medicinae dignitate, illustri diligentiae specimen, Deumque supplex oro ut laude dignis conatibus TVIS in posterum propitius adesse velit, ut omnia in sui gloriam, multorum mortalium salutem, atque optimorum parentum gaudium TVI que ipsius commodum cedant. Valeas meque porro amore prosequi haud dedigneris

